

4. 11. 1748 13.

Πμ
93

ΠΕΝΤΑΣ
ILLUSTRUM
ΑΠΟΡΗΜΑΤΩΝ

ΙΑΤΡΟΦΙΛΟΣΟΦΙΚΩΝ

Quorum decisiones

ΣΙΝ ΤΩ ΛΟΓΩ

καὶ λόγῳ

In

Florentissimâ Academiâ VVittebergensi

PRÆSIDE

Clarissimo atq; Excellentissimo Viro

DANIELE SENNERTO

Phil. & Med. D. & Profefs. P.

Publicè

Liberalis exercitij gratia ventilandas & discu-
tiendas proponit

MATTHÆUS VECHNERUS

Fraunstädiens. Sil.

In Acroasi Medica,

Ad 15. Calend. Januarij horis antemeridianis.



VVITEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno æræ Christianæ

M. DC. VIII.





AMPLISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS
in Repub. Gynzcopolitanâ

Cum

Consularis Regiminis

Tum

Civilis Judicij

PRÆSIDIB: & ASSESSORIBUS.

Patriæ meæ Patribus, Ecclesiæ Orthodoxæ contra Ro-
manensium rabiem Tutoribus, Justiciæ Sacerdotibus & Morum Cenforibus
gravissimis, Litteratorumq; , & meis Favitoribus benignissimis
debito pietatis cultu honorandis.

*Istud qualecunq; γυνασμάτων ιατρικῶν πρῆμεσιον .
Observantia & adfectus mei τεκμήριον .
In felix novi anni auspicium ,*

Quia debeo, quia cupio;

Ex officio, ex animo;

Strenz vicem

Offero & Sacto

Matth: Vechner Author & Resp.



Σὺν Ἰεῶ.

ΑΠΟΡΗΜΑΤΩΝ ΙΑΤΡΙΚΩΝ.

περὶ οἴμιον.



Citè pro suo more. Seneca: *Vt omnium rerum, sic litterarum quoq̄, intemperantiã laboramus, non Vita, sed schola discimus. Inde fit, ut, quod Pacuvius dicebat, necessaria ignoremus, quia non necessaria didicimus.*

Quotusquisq̄; enim Disputatorum est qui non malit Sophisticè in captiosis argutiolis consenescere, quam velificationes suas, quod seriò Philosophi faciunt, ad Sapientia & Prudentia portum dirigere. Inres, si novas Academias lustres, omnium Pyrrhonorum, Ephecticorum, vel Zeteticorũ (de quibus Agell. l. 11 c. 5.) Manes ex orco revocatos, tanto nisu (cum Favorino apud Agell. l. 17. c. 7.) ἀδόξως καὶ ἀπίπκς ὑποθέσκεις defensant. Quin etiam cum Zenone ambigunt, in mundonè contineantur, an ipsi mundum contineant? Immò vix satis explicatum habent, cum Sexto Empirico, Utrum viri sint an femina? Sine dubio femina. quarum omnis in linguã thesaurus est, omne studium in reb. nihili. Ita quondam Aristomachus Solensis tantũ 60. annos in naturã muscarum cognoscendã, pulicumq̄; saltibus metiendis; Alius quidam 58 in Ape describendã consumpsisse; Messala orator de literã S. integrum librum confecisse scribitur. O mentes hominum amentes, & pectora bruta! Agite obturemus aures nostras adversus istos μέγα κηλήσαντας ἐν μικρῷ πρᾶγματι. Legamus melioris nationis Philosophorum in pl-

niori ad Scientiæ arant compendio vestigia, inq; ijs nos
exerceamus, quæ & animum turpi possint exuere in-
ertiæ rubigine, & olim nobis emolumento esse singulari.
Hoc præ alijs nobis spondent, quæ sequuntur πρὸς ἑλθέειν.
Libeat ergo de illis, Summo Docente, ducenteq; Deo,
ἐν χειρὶ ζητεῖν, eorumq; Veritatem ἐν βυθῷ latentem, λόγῳ
καὶ βροχῶν eruere.

I. Vtrum omnia amara sint calida?

Non tantum ordinis ratione, quia Φυσιολόγιον ἐστὶ,
primo loco movere placuit ζητημάτων istud; sed vel maximè ob
insignè ejus ad simpliciū vires venandas utilitatē, cū summā dif-
ficultate conjunctam. Ex quā ut nos expediamus, placet optimi
Medicinæ Dictatoris Galeni ductum sequi & sententiam. Is
igitur l. 4. de simpl. med: fac. c. 6. 8. 10. & 20. sine summo
omnem amaritudinem à caloris aridi excessu derivat, quod
quæ dulcia sunt, coctione tandem amarescant. Galeno benignolas
manus porrigunt omnes ferè ἰατρῶν παῖδες. Primus ex Barbaris
Aven-Rois Collect. l. 5. c. 27. ex latinis Valleriola l. 1. Enarr.
gravè ob id Galeno dicam scripserunt, experientia in subsidium
causæ vocatā, & tali Rationis umbrā. Contrariorum contraria
sunt cause. Dulcis & amarus sapor sunt contrarij secundum Ari-
stotelem l. de sens. & sensil. & 2. animæ. Igitur ut dulcedo
omnis à calore, ita amaritudo lege ἐναυλιότητι & à frigore de-
scendet. Huic rationi subjungunt emendicata sensus suffra-
gia. 1. Fructus immaturi, ut glandes, sorba, poma, mespila, a-
maro linguam imbuunt sapore; iidem tamen frigent, quia ἀπερσοί.
Ideoq; ulteriori coctione terminum perfectionis & dulcedinis
sua naturæ competentē acquirunt. Videtur ergo quod calor ama-
ritiem coctione in dulcorem convertat; qui cum sua natura tem-
peratus habeatur, & concocta, judicio Philosophi 4. Meteor. 2.
sint

sint calidiora, utiq; amarus sapor non nisi frigidus censeripotest. 2. Cichorium, lactuca, scariola, adeoq; ipsum Opium, omnium sensu & consensu, amara, eadem tamen & frigida, adeo quidem, ut opium algore suo stuporem, soporem, immo ipsam Mortem accersere credatur. & Hæc sunt tela præcipua, quæ in summum satelli Asclepiadei Mystag; gum vibrant, ea quomodo declinare commodè vel retorquere possimus, amplius videamus. Prima certè Ratio, magis frigus Filij Rois, quam amaritudinis ostendit. Ut enim Sorex suo se iudicio prodit, ita ille suo argumento semetipsum arguit. Sinamq; ab absolutà simplicis eversionis & conditione utriusq; saporis deducenda profapia, utiq; semper amaritudo, quæ nunquã non dulcedini adversatur, frigiditatis erit soboles. Quod atomus ipse tamen in nullo loco habet Averrois, dum indifferenter modo calori, modo frigori, si siccitati combinetur, amaroris ortum ascribit. Poterat ergo hic nodus authori suo remitti; sed discindam eum Vulcania securi. Dicimus itaq; saporem amarum, dulci opponi; non ut extremo, sed ut medio, sicut liberalitati prodigalitas, aut fortitudini audacia contrariatur. Unde ἐξ ἀντιθέσεως consequitur, causas illorum simili modo se invicem oppugnare, & calorem moderatum mediocris, excedentem excellentis saporis, qualis amarus est ratione vehementiæ, ortum promovere. Id quod Galenus & cum eo Dogmatici maximè volunt. Quando itaq; Philosophus, extremos duos hosce statuit, sine grano salis accipiendum non est. Propriè siquidem & formaliter, seu ratione subjecti, mistionis, & innate temperiei extremi non sunt; sed acer ab intensissimo calore in tenui, & acerbus à maximè debili in crassa materia: Ratione verò delectationis ingustu prout dulcis, evaporatione merito, natura familiarissimus summa voluptate; amarus contra, cum excedentis caliditatis, tum siccitatis immensa ratione, nostra temperiei inimicissimus, molestia nimia linguam perfundit. Itaq; ut Voluptas maxima, maxima molestia; ita hoc

respectu dulcedo amaritudini contraria statuitur. & Audiamus
nunc sensuum testimonia. Primum quod adfert Commentator
de fructibus immaturis, hercle immaturum. Galeni enim
palato l. i. simpl. fac. c. 37. l. 4. c. 6. vel austerè vel acerbè
vel acide, insigni frigida temperici documento, sapiunt. Quod
si genuinum horum saporem ab amaro discernere nequit Aver-
rhois, non fructibus acceptum ferat, sed lingua, adeoq; menti sua
bile suffusa & corrupta. Et ut maxime largiamur eos amari-
tudinem aliquam vel mentiri, vel reapse imprimere gustui, hoc
tamen negamus quod vi algoris; sed beneficio partium quarun-
dam calidarum id praestent. Negamus etiam amara coctione
dulcescere. Nam qua insigniter amara sunt, experientia do-
cuit semper aliquid fellis retinere. In quibus vero amaror ex
parte tantum haeret, ea quidem dulciora evadere possunt, non
tamen virtute simplicis coctionis, sed huic annexa substantialis
perfectionis, qua vel amara partes intercoquendum excernun-
tur, vel multo humido aqueo, cum quo sapor huic nihil com-
mune est, diluuntur. At quid de opio, sive Amfiam
Indorum? Oculatissimus quidem subtilitatum Magister
Exerc. 154. & Exc. 175. sect. 1. & Felicissimus hujus aevi
Practicus Platerus passim operis sui practici tractatu 2.
non sine omni ratione calidum illud autumant. Quia tamen
nobis religio est à veterum & paene omnium recentiorum Me-
dicorum placitis recedere frigidum sane dicamus, quando illud
sua frigiditate nimia, sanguinem & spiritus congelando, mor-
tem inferre creditur. Nec tamen ideo, opium omni calore spo-
liamus, sed ob partium heterogeniam, calidas quasdam agno-
scimus, à quibus amarus sapor in reliquis portionibus inspidas
diffunditur. Ita plurima alia, pro varietate substantiae varios
effectus edunt: Absinthium, plantago adstringunt & aperiunt.
Rheubarbarum alvum restagnantem effundit, effusam cohibet
& quae plura recenset Lang. l. 2. ep: 33. Tametsi vero frigiditas opij

ras opij, calidas partes primâ qualitate vincat, saporem
tamen hebetare non potest. Cujus geminam reddimus causam.
Vnam ex parte amaritudinis; alteram ex parte ipsius succi. Opi-
um enim nostrum, ut constat, crudus est Papaveris succus,
in quo calor diversas substantias nondum perfectè miscuit,
& humidum ex debito terminavit. Quapropter partes calida,
in sicco terrestri unita, fortius linguam concitant, quam si
essent dispersa. Nec impedire possunt id muneris frigida
& cruda partes, licet ut numero, ita virtute frige faciendi supe-
riores; quod ἀχρηστοί cum sint, saporis omnis expertes, in gu-
statilem qualis antem non agant, aut eam obtundant. Sic Ama-
ritudo ipsa cum consistat in quadam extremitate contrariâ na-
tura nostra, sive ea à siccitate ut Aven-Rhois, sive à varietate
saporum, ut Fracastorius, sive deniq; ab occulta cujusdam
δυσπραγίας, ut Mercurialis opinatur, virtute manet, in-
tantum nobis inimica est, ut quemvis alium saporem, in lon-
gè majori fundatum quantitate, sua virulentia obscuret. Non
aliter quàm Nigredo pauca ingentem alterius coloris liquorem ob-
tenebrat, ipsa verò aliunde non inficitur. Noverat hoc Iudaeus
Apella, qui pauco felle dilutum acetum Salvatori in Cruce por-
rigebat; at q; id ipsum experiri licet in quavis aqua dulcissima,
cui si vel tantillum succi absinthij infuderis vel aloes, totam
amaram reddes. Hinc rectè Galen: l. 4. med. fac. c. 8. subsumit,
duos pluresq; saporis eidem inesse, adeoq; uno alterum obscura-
ri posse, quasi non sit, cum tamen reverà sit, & simul operetur.
Concludamus ergò cum Veritatis Aquilâ Exerc; ad Card: 298.
sect: 12. Amarum omne calidum aut omni, aut maxima ex
parte. Hoc tamen privilegio, si sola amaritudo rebus insit, vel
prædominetur ut in felle, aloë &c. & quidem in extreme siccis.
Alias enim non tam Crasim subjecti, quam originem suam de-
seget.

II. Ad quod genus affectuūm præter
naturam referenda sit Lues
Venerea.

Effugimus amara Charybdis procellas ; in Scyllâ nobis
nunc fluctuandum est & pugnandum contra varia opinionum
monstra de effreni luis Venereæ affectu. illo quidem multis, quoad
enormes effectus, explorato, ceterum paucis admodum, quoad
latentem ejus naturam & essentia rationem, claro veritatis
lumine perspectam. Non abs re igitur eam sub disputationis
incudem revocare. Vbi quidem non omnia authorum produce-
mus $\omega\alpha\rho\acute{\alpha}\delta\omicron\zeta\alpha\acute{\alpha}\delta\omicron\zeta\alpha$. Hoc enim esset Hydram Lernaam sine
numine Hercules aggredi, cujus capite uno truncato, decem alia
subinde repullularent. Sed in ijs duntaxat nos exercebimus,
quæ virulenti hujus $\pi\alpha\theta\eta\mu\alpha\tau$ & ideâ, intellectus nostri oculis re-
presentare potis erunt. Ac primum quidem duumviri illi Pata-
vini morborum domitores Herculei Saxonia & Capivac:
c. I. suorum de lue Venerea monumentorum, Montaltus
l. 2. de homine sano c. II. eam ad Causarum morbificarum clas-
sem revocant. Quod non tam viventes corporis partes, quæ ve-
ra morborum conditio, quam humores & spiritus vagos, lac,
semen &c. & quod majus, lintea, aliaq; id generis indumenta
inficiat. At perperam hi $\mu\iota\alpha\varsigma\mu\alpha\tau\alpha$ Gallica, cum morbo ipso con-
fundunt. Non enim in veneno illo, cujus vehiculum stragula,
ichores & similia, Luis essentiam collocamus; sed in præterna-
turali partium diathesi, ab impresso virulentia vestigio reli-
cta. Itaq; ut pestis ex morborum territorio non est proscriben-
da; quod ejus virus ab aere corrupto, alijsq; seminarijs foveatur.
Ita cur Lues Gallica inde exterminanda sit, licet medio spiri-
tuum, linteaminum, ichorumq; a partibus contrahatur, nulla
subest ratio. Præsertim cū utrumq; morbi $\kappa\epsilon\tau\eta\theta\iota\omicron\upsilon\upsilon$, parti scilicet
viventi inhxere $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}$ $\Phi\acute{\upsilon}\sigma\iota\upsilon$, & actiones ejus sensibiliter la-
dere.

dere. Gal: de differentijs sympt. c. 1, obtineat, quod adeo evidens est, ut nemo, nisi cui Ambubajarum emulatione de quibusvis altercarum lubido est, negare audeat. Quibus ita constitutis, ulterioris disceptationis est, ex quamam Morborum familia sit? Audias enim quosdam Φιλονόους, qui cum re-maximo erudite Antiquitatis Promocondo τὰ νοσήματα τὴν φύσιν ὡς περ τέρατα γενεῶν ἀξιοῦσι, in effætam naturam debacchari, quasi ea patribus benigna mater, nobis autem dura noverca existat, & cum alios, tum hunc novum morbum, circiter annum ære Christianæ 1493 in Gallicum exercitum, Neapolitanam tum vastantem regionem, disseminavit. Vnde etiam Gallici & Neapolitani nomen apud vulgum invenit. Verum hos natura mastiges, historiæ fides erroris aperte condemnat. Ex Indicarum enim rerum scriptoribus constat, eum in Americis insulis, Florida imprimis, tam repente & populariter & sine manifesta causa plurimos Indorum affligere, ut illis Endemius censeatur. Neque alio modo eos invadere, quam nos Variolæ solent, unde eum etiam Galli quidam Variolam magnam appellant. Primi ex Europæis Hispani, occupatis regionibus illis, eum ad nos deportarunt, & Gallicano militi, hujusque ex auctoritate medio universæ Europæ, seu preciosam aliquam mercem, levi brevis cuiusdam & obscenæ Voluptatis precio venum dederunt. Quin Langius & post hunc Reisnerus Ex: 1. de scorb: non obscuris indicij, eum jam olim Divino Hippocrati notum fuisse produnt. Tametsi illum proprio vocabulo non expresserit, sed pro more suo symptomatum congerie delineaverit. Quod cum viderent majorum gentium Archiatri, repudiato novo novorum morborum commento, Indicam hanc Pudendagram modo ad Vnitatis divisionem, modo ad Intemperiem aliquam retulerunt. Virumque ἀπειδέτως. Quæcumque enim Venereos miserè torquent dira exanthematum genera, lychenes, serpigines, herpes, steatomata & tubera reliqua, non ipsa luis sunt idea; sed eam instar

Plutarch. 8.
Conviv. problem. 9.

B.

umbra,

ambra, comitantur; ideoque vel in symptomatum, vel in morborum ex consensu classem revocanda sunt. Sic nec disspasiones alicujus manifesta civitate donari merito potest. Non calida aut sicca, ut quorundam volunt ineptia Abiās enim praesidijs hujus temperiei, ut ligno Guajacino & decocto Juniperi apud Affros teste Scal. Exerc. 181. f. 19. non jugularetur, cum contrariorum contraria sint remedia. Diuturnos item dolores, quos Hippocrit. Epid. 6. frigidus vocat, atheromata & adematia phlegmatica non progerminaret. Rondeletius itaque cum & hujus dogmatis absurditatem agnosceret, & suam gravitatem minimè decere putaret, ad sacram illam Divinam anchoram, occultas nempe qualitates confugere, ut Ixion pro Iunone nubem, sic ipse pro Veritate nebulam & γναύνομα arripuit, dum Gallicum morbum intemperie frigida & humidā partium externarum de sinivit. Intemperiem esse inde persuasum habet, quia massam sanguinis inficit, & cacochymia efficit, à qua postea pustula, ulcera & tumores alij protuberant. Frigidam & humidam esse contendit; quia à calidis, siccis & hydroticis profligatur, & effectus frigidus edit. Tumores enim Indici, si aperiantur, pituitam & pus viscosum exsudant. Dolores noctu inrebescunt & exacerbantur, ad motum serosorum humorum; quin & praeter reliquis membris articulos potissimum, ligamenta, ossa, aliasque frigidas partes quae pituitoso succo nutriuntur, infestant. Το ψυχρόν autem, ut habet aph. 18. sect. 5. το λεπτόν ὀστέον, τὸ δὲ δεξιὸν ὠφέλιμον. Et quas alias conjecturas in l. de morbo Italico adducit Rondeletius; quibus tamen quā parum aut suam confirmet, aut aliorum infirmiter sententiam dispiciamus. Primum erroneum est, quod praesupponit, à qua vis intemperie partium αἰματώων vitari & κακοχυμίας pullulare. Cum enim actiones tum laedi dicantur, cum earum principium sive organon laesum est, quomodo expedita aetonomia naturali à natura legibus exorbitabunt ejus munia? Vix ulla elabitur hyems, in qua exteriores partes non algeant, & tamen natura ille thesaurus, sanguinem dico, nullam exinde labem

labem contrahit. Dato tamen, omnem cuiusq; partis intē periens
 sanguini notam inurere, sola tamen hoc muneris non obtinet. Id
 quoddam tūc Dogmaticorum decreta evincunt, quibus quomo-
 docunq; lasas partes artētas & vitiose agere comperitē habemus.
 Nulla igitur causa erit, qua nos eō cogat, ut Intemperiem Gallicā
 luis genus, credamus. Quandoquidem alia quacunq; vel Hepa-
 tis vel aliorū membrorū vitia sanguinem vitare queunt. Sic al-
 terum illud à contrarietate remedij desumptū argumentū pariter
 vacillat, ut mirū, quōd tantopere in eo tantus tripudiet Medicus.
 Quod exim scribit, arida et fervida primis suis qualitatibus mor-
 bum Italicū debellare sensus panā meretur. Sparta parcella, & Ra-
 dix chine primas, post lignū Indicū, in ejus curā tenent, & tamen
 temperata in activā qualitate, in passivā vix secundū gradū ex-
 cedunt, testante Mercato l. de morbo Gall. c. 10. Palmario
 l. 1. c. 15. Saxonia c. 25. & 26. Capiva ccio. c. 8. Et ut ut non o-
 ni illas calore privemus, hoc tamen dicitur negans, vel Chinā, vel
 salsam parcellā, aut ipsum deniq; Guajacū igne suo luti Venereā bel-
 lū indicere; sed vi quadā Alexipharmacā & Bezoardicā, in hūido
 oleoso & pingui residente. Alias, cur lignū preferretur à Palmario.
 l. 1. c. 10. cortici, quā tamen majori sua acrimonia & amaritudine
 fortius exiccet, attenuat & digerit ligno? Cur Saxonia c. 20 im-
 probarat, propter insignē suam calidatē, opiaras Fernelij? Cur itē
 Sylvaticus Controver. 70. longa verborū serie eorum taxaret
 consuetudinē, qui bis de die Guajaci usum urgent? Nisi quia à ca-
 lore ipsius saepe febricula concitari solent. Ita Montanus Veronen-
 sis; in cuius corpus anima Galeni per quandā μετηψυχωσι Py-
 thagoricā migrasse dicitur, Consult. medic. 62 sanctē assererat,
 lignum hoc, si calida temperiei agro propinetur, majorē evidentē
 sua qualitate noxā inferre, quā occultā Balsamicā juvare possit.
 At q; ejus rei se aliquoties experimentū fecisse, ideo ejus calidita-
 tem castigat aq. Endivia aut fumi terra. Quin si qualitatibus
 elementaribus metiri horum Antidotorū virtutem fas est, cur
 in Indiam usq; excurrimus? at q; inde conquisita remedia appor-

ramus: Cum ubiq; aequè potenter siccantia & calefacientia præ-
stò sint Si solis hydroticis pugnandum est, cur Cervi lachrymam,
quæ tanta copia sudorem proleat, ut totum pene corpus solvi
credatur lui gallica non opponimus? sed solum panè lignum Gua-
jacinum pro determinato & genuino luis alexiterio habe-
mus. Hoc Sepio remoto, symptomatum, quæ pudendagra acci-
dunt, causas rimemus, algoris nè ea, ut volebat Rondelet. an
occultæ virulentia sint suboles? Si algoris humiditantum
in partibus externis, cur non similem partium constitutionem
similia subsequuntur symptomata? cur hæc medicamentis tam re-
bellia? aut igneis non cedunt Pharmacis? Cur leuco phlegmatia
aut anasæra pariter ~~quæ~~ ~~non~~ ~~exhalant~~ aut contage
inficiunt? quia nempe, secundum Mercurialem, ad vaporum
morbidorum emissionem necesse est fieri ebullitionem & putrefa-
ctionem, cum aliter attolli & transmitti nõ possint, nisi calor agat
in humidũ vehementer & valide, unde postea exsurgant halitus.
Apparent sanè in lue affectis tumores pituitosi. Nullo tãen frigi-
ditatis morbi simbolo, cũ nec perpetuò, nec tantũ efflorescant; sepi-
us pustula, rhagades, caries erodentes; semper fere depilationes,
& Gonorrhæa virulenta ac fetida non sine conspicuo caloris acer-
rimi sensu. Ac licet ex tophis patentibus pituita manet, ea tamẽ
non à lue, sed corporis subjecti natura prognata est, nec ipsa vi-
ces causæ continentis, sed in ea contenta virulenti gerit. Vnde
etiam citra ministerium Alexipharmacorum planè tolli ne-
queunt. Ad hæc non dulcis aut insipida, quæ frigiditatis; sed sal-
sa, putrida cum pure, quæ caloris nota est, effluit. Similiter
cruciatu Indicos noctu potissimum ingravescere experimur, non
tantum, quia crudum Phlegma atræ bili permistum & præcipua
apostematum causa tum movetur circa lacertos, Lang. Epist.
med. l. i. ep. 42; sed imprimis, quia membra Caloris nativi, ve-
ri illius Heliotropij, radius & influxu destituta frigent & ri-
gent, ita ut humores minus digeri & poris oppilatis per insen-
silem expirationem discuti possint. Quod autem partes sper-
mat

matica & frigidiores precipue hic laborent, istud nec semper er-
num est, nec tam ipsi affectui, quam partium & totius subjecti
dispositioni imputandum. Illis quidem, quia debiliores cum
sint minus externis injurijs resistunt & promptius noxia quavis
recipiunt. Huic vero, quia vel pravis succis & pituitosis refer-
rum est, vel principe membro laborat. Ita enim partes semi-
nales, vel a suo principio & fonte, cerebro videlicet laso, vel
cum analogo sibi alimento frigidiore Gallicum virus susceperant.
Quod si ex quorumcunque symptomatum farragine de morbo
hujus qualitate conjectandum, plura caliditatem, quam frigus
suaderent. Cui enim alteri Gonorrhoeas ardentes cum hyper sarcosi?
Cui ulcera & phymata serpentia? cui caries illas Venereas, in
quibus, non secus ac acerrimis murium dentibus carnes ossaque
exeduntur? Cui saburram atrabiliarem, aliaque innumera
fervida et encaustica accidentia accepta, nisi extrema calidi-
tati ferremus? Quam aliam rationem imaginaremur, cur ju-
venes potius, aliosque calida temperatura, quam decrepitos &
extorres senes corripere soleat? nisi ἀναλογία τῶν ἐνεργόντων
αἰμάτων πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὕλην. Et hac tamen Rondeletius non
morbo, sed calida subjecti natura ascribere, & recte quidem
voluit, cur ergo & nobis non liceat frigidus effectus ad subjectum
referre? Simplex quidem est ipse natura sua morbus Neapoli-
tanus, omnium tamen Protei cujusdam vel Chamaleon-
tis instar faciem assumis, omnium colore & pallio se obvelat,
quatenus balsamum vitalem sua malitia ita exolvit & dissipat,
ut actionibus praesse nequeat. Vnde etiam Matthiolus tuem ali-
am Melancholicam, aliam sanguineam, aliam pituitosam, aliam
cholericam vocat. Quod saepenumero sub uno atque altero ho-
rum malorum velo delitescat, eaque sua natura curatu facilia stu-
penda malignitate imbuat. Quibus ita constitutis, quilibet,
subducta ratione, colligere potest, morbum Gallicum, cum ex
manifestis non sit, secretis esse annumerandum, quos magnus
ille Fernelius vocat totius substantia. Siquidem ab occulta qua-

litate, quam Montanus innominatā, ὄν φασὶν ἢ δαυμασόν, Ron-
del. forte sui dogmatis tadio aut veritatis splendore coactus, malignā
& venenatam appellat, proficiscitur, qua pro more Deleterio-
rum, ipsius Galeni suffragio l. 5. simpl. c. 18. & 19. ibid. libro. 3.
cap. 22. 3. de temper. c. 4. abscondita totius substantia proprietate
lædit, sibiq; simili affectione, l. 1. de semine c. 16. alterat & vin-
cit immutatq; corpus, eo modo quo id cibus l. 3. de temper. c. 2.
Quare si causa, ejusdem quoq; effectus ager à totâ substantiâ, ijsq;
expugnabitur, qua non evidentibus qualitatibus, sed substantia
proprietate juvant. Tamen si vero Galenus, cui de ijs affectibus,
qui methodo & indicationibus curantur propositum fuit agere,
nullibi de his ex professo tractarit, ipsius tamen cognitionem non
effugerunt, cum l. 11. simpl. c. c. de cancriis fluviat: se de ijs,
qua proprietate substantia quid agunt, seorsim librum conscriptu-
rū, promittat. Et nè agnoverit quiaem, ipsius tamen ignorantia
veritati non præjudicabit. Proficiunt enim secula in melius, &
ut Vives loquitur 1. de causis corr. art. multa cogitat posteritas,
qua vel aliter credidit, vel omnino ignoravit velustas. Ita e-
nim sunt τῶν τρυφῶν ἐπιδόσεις 1. Eth. Nic. 7 si judicata & comper-
ta mutantur in melius. Quae de causa Thales Milesius tempus sa-
pientissimum dicebat, & Euryphon Medicus interrogatus quo
praeceptore usus esset, tempore respondit. Nequè verò nobis turpe
ducamus, ad occultarum qualitatū ex ignorantia asylū confugere.
Siquidē non minima sapientia pars est, quaedā equo animo igno-
rare velle Scalig. ex 307. l. 29. Et in omni vita preciosissimū intel-
ligere & nescire quod nescias Caelius Rhod. l. 1. lect. antiqq. c. 7.
Nam qui audent omnia ad Elementares revocare qualitates,
ipsi nihil aliud sunt quā elementa, iudice oculatissimo Scal. Ex 344.
f. 9. Quandoquidem multa lateant animos temperatos, illudant
curiosos, ac veluti à Ciconiâ vulpecula, ut est in fabulis ita, & nos
verè hijsce in rebus eludamur, vitreum vas lambentes, pulterem
inter jus non degustando Exe. 218. f. 8 Exer. 307. f. 21. 30.

III. An detur Pectis sine febre?

Multorum licet misere, ut corpora, ita ingenia defatigant ob.

scurissimū pestilentia virus, à sui tamen contemplatione gradum
nostrum non revocabit. Quandoquidem πολλὸν κρείττον μικρὸν
περιέχει ἐν τοῖς μεγάλοις, ἢ πολλὸν διαφέρει ἐν τοῖς μικροῖς Isocr. in
Encom. Hel. & ex Columella sententia: Rei non magna quantula-
cunq; possessio non minima sit gloria, & eius quod amamus μι-
κρὸν μῶριον καλιδεῖν ἤδιον. Sed ad questionem. In hujus affirmati-
vam abeūt precipui ex modernis medicis. Augenius tom. 2. l. 4.
ep. med 24. & tom. 3. l. 4. epist. 11. & 12. Ant. Portus Fir-
manus l. de peste c. 3. Iul. Palmarius c. 1. qui uno ore constan-
ter asseverant omnem pestē esse ex febrium acutissimarum nu-
mero. Quibus calculum suum adjicere videntur Alexand. Be-
nedictus. Hier. Mercurialis, Itali, Petr. Pereda, Paschal. Hispani,
alij q; qui μελετήματα sua titulo febris pestilentis, quam pestis
insignire maluerunt. Quod cum nō citra rationem fecisse velint,
sed argumentorū se obvelent & protegant nubibus, veritatis ras-
dijs eas depellendas opponamus. Duplici autem hi armorum
genere, suas, si Diis placet, κούρας δόξας propugnant. Authoritatis
uno, altero Rationis. Illam ab Hippocrate petunt, qui in l. de
flatib. febriū alias cōmunes, quas pestes vocat; alias privatas à
pravā dietā prognatas statuit. Vnde Augen. virtute legitima
divisionis concludit, omnem pestem esse febrem communem; quā
sequela, postea attendemus. Rationum sigmenta & pigmenta
haec sunt. 1. Omnis morbus acutus sociam trahit febrem. Pestis
est morbus acutus, quia alarum pernecitate & necandi celeritate reliquos
post se multis relinquit parasangis. E. febris semper implicita. Proposition;
pōtus addūt authoritatis Hippocraticae & Galēicae, qui l. de flatib. & 1. Epid.
s. 3. t. 3. 3. de diff. respir. c. 7. De victu acutor. c. 2. t. 8. expresse morbos acu-
tos habere febres continuas & inseparabiles docent. 2. In omni peste Cor à
putrilagine calet & squalet. Siquidem haec doctore Galen. 1. de differen-
tiis febr. c. 4. 1. in 6. Epid. t. 29. 3. in 3. Epid. t. 12. & 23. non nisi ab
excellenti & profundā putredine emergit, qua Balsamus Vitae corrup-
pitur, & calor igneus in universum corpus dispergitur, ut ut pestis nul-
la sine febre reperiri possit. Haec sunt ipsorum argumenta, quorum prius
ἀλεγχον subiiciēus, quā ad κατὰ κείνην oppositae sentētiae progrediamur.

Primum

ἐν ἀμφὸν accepimus Hippocraticum illud: Ex febris, quæ
communes sunt, esse pestilentes; sequelam autem, quæ deduci-
tur, quod omnis pestis sit febris communis, explodimus. Cum
assertiones illæ, Februm alia sunt communes & hæ pestes, a-
lia privata & hæ à diata vitio originem trahunt, non sint
καθ' ὄλῃς vel ἀντιστρέφοντες. Alias enim pari virtute reciproca
ἐξ ἀνάγκης sequeretur, omnes à pravâ diatâ febres esse priva-
tas, quod aperte falsum. Nam, ut μετὰ λιμῶν, ὁ λοιμὸς quod
est in proverbio: Ita ex ciborum vel aquarum communium cor-
ruptelâ, & simplici contagio febris pestilens pro sapiam suam
ducere & populariter grassari potest. Id quod affirmat Gal: 1.
de differentijs feb. c. 3. & 4. 1. acutor. comm. 9. & in proæmio 1.
Epid: ubi morborum communium triplicem causam agnoscit:
unam quidem in ijs quæ offeruntur: alteram in ijs, quæ
fiunt: tertiam in ijs quæ extrinsecus accedunt. Et, quævis
rarò, fieri tamen concedit, ut per ingestos cibos morbus
cõmunis civitatẽ, vel nationẽ vel exercitũ pervadat. At-
que ideo ab authore libri de natura humana, qui Hippocratis
nomine circumfertur, non rectè dictum putat l. 2. comm: 3
quod ortus communium morborum in aerem solum
modò sit referendus, quod ab esu semiputridi tritici &
noxiarum aquarum potu quidam cõmuni morbo corri-
piantur. Vti pluribus hoc historiarum monumentis confirmat
Gerardus Columba. l. 1. disp. de febr. pest. 4. et suffragatur Au-
genius l. 6. de feb. c. 3. Quin & hoc concedit, ibid. c. 4. fe-
bres quasdam communiter grassari, ut hecticas in urbe Anxur,
quæ tamen non sint pestilentes, secus quam in epistolis medi-
cinalibus docuerat. Quod vero subjungit, Hippocraticam
illam divisionem februm in libro de flatibus esse essentialem, in
eo & sibi ipsi repugnat dum l. 3. de febr. c. 7. eas in simplices
& putridas disspescit, & Galeno, qui ad mentem divini Hip-
pocratis, l. 1. de febr. differ: c. 1. 6. Epid. 1. Comm. 19.
differentias

adion

*differentias essentielles febrium sumit à caloris propter naturam
qualitate, subjecto & motu contradicit. Veniamus tandem ad
rationes. Prima hypothesis de morbis acutis febrim necessario con-
nexis cespitat. Cholera, syncope, venena epota statim extremos
habent labores, atq; iccirco peracutos morbos constituunt, &
tamen citra febrim infestant. Sic Tetanus & Apoplexia
tam acuti morbi sunt ut ille quatuor diebus s. aph. 6. hæc
septem 6. aph. 51. perimere soleant. Tantum tamen abest,
ut febribus comitati, ut potius ab iisdem supervenientibus
solvantur 4. aph. 57. Atq; huc facit Galeni assensus, cujus
clara verba idem nobiscum astruunt. Ita enim 5. aph. com.
30. Si absq; febre morbus acutus fiat, impossibile est
propter magnitudinem morbi & acutiem evadere laborantem,
& 2. aph. 19. Duplex autem est acutorum morborum na-
tura: vel enim ab humoribus calidis &c. fiunt, febresq; ut
plurimum in morbis acutis, morbis sunt Continuae.
Rari enim sunt ex ipsis, quib. febres non adsint. Ex qui-
bus liquet, quid ad superius citata loca, qua Augenio favere vi-
dentur, respondendum sit. Loqui nimirum ibi Præceptores more
medico, & universaliter proferre, per figuram quandam
dictionis, ut testatur ipsemet Gal. 6. Aph. comm. 58. qua
sunt ἐπι τὸ πολὺ; aut certe, quod cl. Heurnio in. 1. progn. t. 17.
placet, de ijs duntaxat acutis, qui si cum febre oriantur, eam
habeant continuam, non intercalarem. Ac tamen si alibi Galen.
negare videatur Convulsionem et apoplexiam esse de familia acu-
torum id tamen non de earum insultu, pernicio, motu & acces-
sione, qua omnes acuti ex sententia Archigenis apud Gal. 2. aph.
19. & 23. definiuntur; sed causa, frigida nimirum ac lento hu-
more subaudiendum est. Quorespectu idem Melancholiam, a-
poplexiam & morbum comitalem inter Chronicas passiones
6. aph. 47. rettulit. tam alterius rationis fundamentum, Pe-
stem videlicet à putredine tantum pendere, plane putidum.
Quamvis in eo omnium pene Medicorum Fracastor, l. 2. de
C morbis*

morbis contag. c. 3. Augen. tom. 1. l. 4. epist. 1. tom. 3.
l. 4. ep. 10. de febr. l. 6. c. 11. Marcell. l. de variol. c. 8.
Heurn. l. de febr. c. 19. aliorūq; vora conspirent. Quanta cunq;
enim excogitetur putredo, immediatè tamen nunquam pestem
excitare potest, nisi aliqua maligna & mortifera qualitas, sa-
lutari vitæ neçtari è diametro adversa concurrat. Quod agno-
vit olim Aretæus & Galen. qui 3. in 3. Epid. 75. 3. de locis af-
fect. 7. 2 in 1. proreth. 17. & l. de theriaca ad Pisonem
c. 67. talè vim Pesti inesse scribit, qualis est in medicamento de-
leteris. Ideoq; etiam eam alexeteris, ut quæ κατ' ὄλην τῆν ἰστίαν
agunt 6. in 6. Epid. 5. & l. de Antidot. 1. infringendam censet
in libb. de theriac. ad Pison. & Pamphilian. Idem quoq;
testatur momentaneus à venenatæ aure haustu insultus, pernicio-
sitas μᾶλλον contagiosorum in alium, quamvis optimè habitum
transfusio, inopina virium & vitæ extinctio, alsaq; id genus
symptomata, quæ Putredo, ut pote longiori, ad sui procreationem
& patientis destructionem morâ egens, quâ talis, nunquam ef-
ficat. Galeni verò textus quod concernit, quibus pestiferas ex-
cellentiâ putredinis à reliquis febribus discernit, non accipimus
proprie, pro vera putredine, sive ea sit extensiva, ut in Ele-
phantiasi, sive intensiva, ut in ardenti febre: sed κατὰ ἕξιν
vel pro nocendi excellentiâ & maligna februm pestilentium pu-
tredine, vel pro occasione & via ad virulentia generationem.
Cum non sit κατὰ τὸν ἀδυνάτων, ut pravi succi à putrido nutrimento
venenositatem acquirant, quod superius confectum & clarius
statutum à Galen. l. 1. de diff. febr. c. 3. 6. de loc. aff. c. 5. l.
de Constit. artis c. 19. de cibis boni vel mali succi. c. 1. &
2. in 1. proreth. Comm. 5. Tandem, ut nostram quoq; sen-
tentiam pensi habeamus, nec à ratione, nec à sensibus, nec à
Medicine quidem Dictatoribus alienum esse putamus, sanciri-
re, febrem non esse necessario cuiusvis pesti implicitam. Nam
Hipp. 3. Epid. 3. in statu pestilenti, multa accidisse docet, par-
tim cum, partim sine febribus, quæ terrorem potius, quam
periculum denuntiabant. Divinum huius Herois sensum κατὰ
mōδα

*moda sequitur & assequitur Gal. in huius loci & alterius qui est
 6. Epid. f. 2. exegesi & 1. 9. simpl. c. de bolo Armena,
 quam exhibet pestilenti si febrat, cum vino diluto, si febris absit
 cum meraco. Fidem insuper nobis feneratur historiarum inau-
 bia veritas, qua exploratum habemus, pestes quasdam tanta
 violentia homines aggredi, ut protinus ipsos e medio tollat, ante-
 quam febrati invasioni occasio ulla concedatur. Observavit hoc
 Tac. de Partibus in pestilentia, qua sua etate, instar furiae infer-
 nalis dimidiam hominum partem demessuit, & Valleriola in al-
 tera, qua Anno 1534. Galliam Narbonensem afflixit, ubi re-
 pente, instar sideratorum, qui peste correpti fuerunt, concide-
 runt, cum alioquin illis neq. pulsus exitialis, neq. urina, nec vis
 alia adversa valetudinis signa apparerent, sed sani, incedentes,
 loquentes, ceu fulmine icti perirent. At q. talem reor fuisse pe-
 stem, sub Romulo, in qua ut Plutarch. in eius Vita habet, homines
 statim absq. morbis moriebantur. Eandem professionem vis ve-
 ritatis extorsit Alex. Benedicto c. 2. Mercuriali c. 18. Capi-
 vaccio l. 6. Pract. c. 36. Foresto l. 6. observ. 10. ut palam testa-
 rentur, homines interdum prius veneno jugulari, quam locus
 & tempus putrefactioni & accensioni detur. Hisce demum adde
 utriusq. affectus naturam, qua non ita affinis est, ut neuter sine
 altero subsistere possit. Pests enim totius substantia: febris in-
 temperiet morbus est. Illam secreta & toto genere avulsi duntaxat,
 hanc compertis qualitatibus alterans facultas producit. Illa πονηρία
 & contagio ita sevit per hominum corpora, ut saepe integras ci-
 vitates depascat. Unde & Quercetano à pestendo pestis deau-
 titur: Ista sporadica cum sit, non ita vehementer in populos gras-
 satur, ut contactu obvios quosq. prosternat, & integros agros
 colonis exhauriat. Quare, licet raro hoc contingat, omnino ta-
 men pestis circa febrem homines invadere & necare poterit.
 Mercat. tom. 2. part. 2. l. 7. in proam.*

IV. Vtrum quavis Urinarum nigrarum sit lethalis?

*Ut nihil est, quod magis sacrum Τυειδος vel Πανακειου μυστηριου
 reddat ισοδ. ov, quam si quod de Chalcante Homerus Iliad a.*

cecinit: ὅς ἦδ' ἔτατ' ἐόντα, τὰτ' ἰσχυρὰ, ἢ
competat: Ita vix aliud est, quod vel artem magis efficiat soco-
sum, vel acrius studium & iudicium exposcat, quam lubrica
ἀνησυχία. Accedit abusus Vrinatorum, qui vix triobolari au-
cupio ex solius lotij inspectione, quidvis more capularium ani-
cularum, de morbo nugari, non erubescunt. Hujus census sunt,
qui dum corticem verborum Choi vel Pergameni senis nucleo
preferunt, nigri coloris urinas omnes exitiales statuunt. Freti
author praeceptorū, Hipp. qui 2. prognost. t. 24. 28. 29. f. 2. aph.
21. 22. simpliciter nigras funestissimas & pessimas, in Viris
praesertim & feminis pronunciat, & Galen. qui l. de atra bi-
le & l. 1. de crisib. c. 12. nullos se servatos vidisse, ait, ex ijs,
qui nigras emiserunt urinas. Ut vero facilius temeritatis suae
fautores invenirent Divinatores, Tartara ipsa movent, & ni-
gri lotij simbolo defunctos in dium revocant Philiscum, Sile-
num 7. Epid. f. 3. Erasinum, Adolescentem qui in membra-
cium foro decumbebat 3. Epid. f. 2. Mulierem, quam ex
abortivo foetu circiter quintum mensem ignis prehen-
dit, aliamq; quae in Thaso ad frigidam decumbebat
sect. 3. ex quibus omnes, post mictionem urina nigra satis cesse-
runt. Tandem ne armis destitui viderentur, ita arguantur. At-
ter iste color vel intensi caloris, qui ad exustionem properat, vel
frigoris, qui v̄ ἀποσιν νεκτάρης vivifici importat, suboles est, do-
cente Gal. l. 1. de Crisib. c. 12 & Comm. 2. prognost. Cuius-
cunq; autem sit, semper mortem portendit, quod utraq; quali-
tas vita depradet pabulum, quo absumpto Vita abit. Verum nos
meliora edocti, ad veritatis tribunal provocemus haec causarum
lenocinia. Primum praeceptorū dictis non repugamus, modo dex-
tè & eo sensu quem ipsi volunt intelligantur. Esse videlicet uri-
nas nigras lethales, si symptomaticè, cum duobus ὀφθαλμοῖς, concurren-
tibus etiam alijs signis funestis excernantur. Quod innuunt
aphoris, 25. & 47 f. 4. & aph. 65. f. 7. in quibus, nigra, si prod-
eant commode, lotia, bonum praesagire asserit Hipp. & Galen.
in comment illorum aphorismorum. Deinde historis adductis
quibus

quibus probatur, quosdam cum urinis nigris intempestive ex-
cretis, obijisse, fidem damus, non tamen, quod emperores inde confici
putant, omnes hoc symbolo decedere concedimus. Possumus enim
dare plurimos, qui apud Hippocr superstities manserunt. Ita l. 1.
Epid. s. 3. postquam urinas nigras minxissent, Herophon die
nona a morbi insultu imperfecte, 17. tandem a recidiva integre
Epicatris uxor 40. Metons die, judicati sunt. Sic Hieropytho
& Nicodemo (Abderitanis l. 3. Ep. s. 3. mictio nigra nihil ad Crisin
perfectam obsuit. Postremo ratio allata & ipsa claudicat propter insuf-
ficientem causarum enumerationem. Denigrari enim possunt urinae, a mul-
tis aliis causis, cum externis, tum internis. A foris nigrescunt, si cibi et ju-
ra nigra sorbeantur, quia ut Hipp. 6 Epid. s. 5. aph. 15 Urina fit cocolor cibo
& potui: si Melanogaga a partem vitiosi succi cum urinis, propter validam
expultricem (quod bonis aegri rebus fieri docet Hipp. s. 4. aph. 21. & Vvil-
lich. Vrosop. c. 26.) evacuent. Sic Mercurialis c. 6. l. de urinis expertus
est Clysteres factos ex sapa sola urinas atras reddidisse, & ex Rhase re-
fert, quo isiquis corpus oblinat Halcana fructu, nigras urinas mingat.
Domi vero sua & ipsa multifaria tingitur urina a permistis humoribus,
quando natura $\pi\sigma\pi\upsilon\sigma\tau\iota\alpha\upsilon\ \tau\omega\upsilon\ \mu\omega\chi\theta\eta\gamma\omega\upsilon\ \chi\upsilon\mu\alpha\upsilon\upsilon$ per vesicam deponit. Hic
si Melancholia in morborum atrabiliarium declinatione, critico naturae impe-
tu cum sero deturbetur, tantum abest, ut urinae nigrae interitum secum ferant,
ut potius sint clarissima virium triumphantium brabea & spolia ho-
stili materiae erepta. Ita Galen. l. de atra bile c. 8. animadvertit, uri-
nas nigras supervenientes, in febre quadam mulierem restituisse, ob re-
fluxum nimirum sanguinis, in mensibus retentis, ad renes & vesti-
cam. Idem Musa in moniali quadam, Hollerius l. 1 de morb.
curand. c. 52. in advocato Arhenbault: in spleneticis & Quar-
tanariis, prater Laurentium l. 1. de Crisib. c. 8. innumeri alii
se observasse testantur. Si humores adusti, extra leges naturae,
symptomatice, in principio morbi cum urinis excernantur, eas quae
tingant, indomiti humores speciem, partium singulare vitium,
virium exsolutionem & retentricis ignaviam praeseferunt, ac
tantum non certam mortem, presente duosmodi in proinctu
esse arguunt. Minus tamen junesta, si in mediore consistentia
nubecula tantum nigra conspiciatur, ea quae non longe a fundo abeat
2. progn. t. 32. Tum enim adhuc aliqua evasione spes restat, ut

Metbonis exemplum in historiis Epidemiis testatur. Quod si de
cretorie isti humores in magna copia excludantur per urinas, et
am morbi solutio speranda est; ut in suppressione menstruorum
& haemorrhoidum 3. Epid. 3. t. 73. Ita Hollerius in observ. ad
consilia curandi l. 1. practicae suae subjunctis, memorat An-
no 1543. rigida hyeme salubres pleuritides grassatas esse, qua-
rum quidem aliquot per urinas nigras crassas judicatae fuerint.
Atra tamen bilis torrida, quae effusa aceti more terram subigere,
& fermentare solet, hoc privilegio gaudet, ut numquam nisi maxi-
mo discrimine & insigni partium per quas fertur calamitate ex-
cernatur. Unde etiam apud Hipp. l. 4. aph. 24. Δυσουρίη ην υπό
χολής μελαίνης άρξη δε θανάσιμον. Si vero a venis per partium soli-
darum & spirituum extinctione humores refrigerati nigres-
cant, & urinae fatidae in primis permisceantur, tunc demum de
vita actum esse tuto pronuntiabimus. Siquidem impossibile vitam
extinctis partibus posse subsistere. Atque ex his constare arbitror,
quo sensu accipienda ratio in contrarium superius adducta. Urinas
enim nigras quandoque calorem, quandoque frigus, quamvis hoc ne-
get Argent. & Mercurial. l. 1. sequi largimur: ceterum non
ob qualitates has serum in primis colorantes, sed permutationem
humorum nigricantium ut Gal. 6. Epidem. Com. 5. t. 15 docet, cui
ferè saniores obsecundant omnes, praeter Reusner. qui in scho-
lis ad c. 7. Villich, irrito tamen conatu hujus dogmatis veritatem
impugnat. Nam, ut recte Saxon. c. 12. de urinis ait, urina ratione
substantiae suae, neque a cal. neque a fr. potest nigrescere: quae enim a ca-
lido nigrescunt, illa secundum Arist. 4. Meteor. & Gal. 4. M. M. 5.
debent esse exhalabilia, & vel sicca, ex quibus fumus; vel pingua,
ex quibus fuligo; vel unctuosae, ex quibus nidor exhalat. Aqua
vero & serum tantum evaporabile; quare a calido non nigrescet.
Nec a frigido, quod comprobant aquae fluviales vel fontane
quae in glaciem congelant & a frigiditate condensatae potius al-
bescunt, ut nix, pruina. Concludamus ergo cum divino Hippocr.
l. 2. aph. 19. quia τῶν ὀξέων νοσημάτων ἔκαστον αἰὲς φιλέει αἰ πο-
δύγιον ὅτι τὰ θανάσιμα, ἔτι τῆς υγείης, ideo ex solo urinae colo-

re, nisi conferatur ad naturæ leges, morbi speciem, partem affectu,
humorum motum & quietem, trium facultatum robur & dies
Criticos, certam vel mortem, vel salutem non esse predicendam.

V. Num theriaca curæ februm malignarum inserviat?

Quod de aliis medicamentis Herophilus, hoc imprimis de ma-
gnis illis Antidotis & jure & merito asserere possumus: Eas ni-
mirum εὐσώχως usurpatas esse salutareς Διῶν Χείρας. sinistra vero,
gladium in manu stulti, quo infiniti in pollinitorum sandapitas
deturbantur. Sedulo ergo in eas inquiramus, & pro tempore de
Theriaca usu in febribus malignis cogitemus. Julius Alexan-
drinus Archiatros Casareus cum abastam harum februm viru-
lentiam & malignitatem exsortem agnoscere nequiret; sed solâ
putredine easdem desiniret, non superfluum modo, sed noxiam
omni modo illis esse divinam hanc Andromachi opiatâ censuit. Quod
calida cum sit & sicca, æstum febrilem, quem Hippocr. passim i-
gnem vocat, non modo non extinguat, sed insuper intendat. In eod-
dem voluit abroberet. Rondelet: & Capivacc l. 6. de febr. c.
31. qui tamen si occultam malignitatem harum februm nō neget,
theriacam tamen ob primas qualitates, quibus humorū ὀξύσπον
acuere & calorem cordis ἐξ ἄνω ἐν ἔλκω transmutare potest,
reformidat. Sed frustra. Quod enim febres pestifera & maligna,
non tantum in gure putri calore, sed etiam singulari malitiâ ὕμνη
ἔω suam habeant, id præter uberem ferocissimorum symptomato-
rum proventum, puta perichias, Bubones, Anthraces, syncopes
&c. ostendit etiam diversus cadendi modus, Curandi difficultas
& ratio pœne ἀποβδ &, contagii & necis interdum Epidemica
frequentia & celeritas; quæ omnia putredini simplici nemo fa-
cile imputet. Quod si verò has vires acquirat eundo, putredo,
pura tamen tum non est, sed ad deteriores gradum pernicietis
devenit, quæ non tam elementaribus qualitatibus, quam secre-
tis & specificis tribuitur. Ideoq; non is duntaxat impugnanda,
quæ eminus tantum & manifestis jaculis putrilaginem petant;
sed quæ recondita totius substantiæ antipraxi virulentiam hanc
delent & naturæ robur asslant. Hujus generis autem Antido-
tus Andromachia, ut universa Dogmaticorum synodus concor-

94
Th
43

dibus votis statuit. Quare illa febribus malignis opponenda. Prae-
fertim cum, ut Caprilus contendit, & ipsa non parvum putredini
vi sua absterforia & exsiccante resistat, attenuando spiracula cu-
tus referat, & sensim partem pravi succi per ἀδὴλον διαπτόνυ abscin-
dat. Nec verendum, ne hujus usu esuq; Februa magis inflamma-
tur. Primo enim tanta est interdum malignae conditionis feritas,
ut illius bilem parvi fecisse quadantenus praestet. Modo dignius
ab hujus victoria brabeum quam illius furore exitium speretur.
Quandoquidem in methodo medendi nec ἀλογον, nec novum, ut
in adversorum & adversorum affectuum syndrome, vapidas al-
terius minas, atrocioris triumpho postponamus. Ita in affectibus
biliosis, Cholagoga calida non repudiamus. Ita Gal. Hipp. aliq;
Graci Helleboro, hsera Pacchis, diaphanico &c, in ardentissimis
febris, pleuritide aliisq; affectibus gravissimis saepissime usi, cali-
ditatem eorum parum reveriti. Deinde Theriaca in tam parva
dosi exhibetur, ut parum virium de se fundere possint elementa-
res qualitates: at τὸ θεῖον etiam in exigua mole insigne habitat.
Quare cum potentior ad excludendum venenū, quam ad incen-
dendum sit theriaca, cur eam negligeremus? Si tamen omnino
pestilentior sit calor, quam maligna vis in hac febre, ut fieri non
raro solet, tunc ratio habenda ejus, quod magis urget & usus
Theriaca paulisper suspendendus, donec calor restinguatur. At si
contingat, ut paribus viribus & quasi ad aequilibrium, acerrime
tamen, utraq; qualitas vitam oppugnet & fatiget, hic cum ad
extremam partem deventum sit, etiam extrema conquirenda undiq;
sunt praesidia, & vel dubia salus certa praeferenda desperationi.
Cum saevius sit, ut loquitur Celsus, anceps, quam nullum auxilium experiri.
Itaq; cum vis venenosa in hoc casu, locum dignioris indicantis occupet,
& saepe magis a septico, quam a febrili calore cor aestuet, & hic Theria-
cae non nullus usus erit. Modò cum cautione & providè exhibeatur. Ea
videlicet quae media est aetatis, nec dum ad illum caloris gradum perve-
nit, quem tandem fermentatione sufficienti imbibere solet, siq; frigido liquo-
re, ut Iulebo rosaceo, succo limonum syr. de aciditate citri, vel decocto
scordei, scabios. acetosae & id genus aliis, quae hinc inde a Pragmaticis
commendantur, temperetur, & extrinsecus Epithemata, olea, ungenta
vel sacculi, qui cor roborare & calorem ejus castigare valent, applicentur.

1012

4. 1248

AI


Fl

D

MA



Ty



KODAK Color Control Patches

Kodak LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

M

TON

N

X 1904930

ittebergensi

mo Viro

NER TO

fs. P.

as & discu

NERUS

meridianis.



Christiana

